

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. pol

Sábado 21.04.2018

Carta al enviado especial en la celebración del 600 aniversario de la institución primacial en Polonia (archidiócesis de Gniezno, 29 de Abril, 2018)

El 3 de marzo de 2018, la Santo Padre nombró al Emmo. cardenal Vincent Gerard Nichols, arzobispo de Westminster, su enviado especial en la celebración del 600 aniversario de la institución primacial en Polonia, en la archidiócesis de Gniezno (Polonia), que tendrá lugar el 29 de abril de 2018.

El enviado especial estará acompañado por una misión pontificia compuesta por los siguientes eclesiásticos:

- Rev.do Can. Maciej OLCZYK, desde 2014 canónigo del Capítulo primacial de la Catedral de Gniezno y desde 2016 profesor de Teología Moral y Ética de la Facultad de Teología de la Universidad de Poznań.
- Rev.do Can. Zbigniew PRZYBYLSKI, canciller y portavoz de la Curia Metropolitana, miembro del Consejo pastoral sacerdotal y del Colegio de Consultores de la archidiócesis; desde 2016 es canónigo del capítulo primacial de la catedral de Gniezno.

Publicamos la carta del Santo Padre Francisco a Su Eminencia el cardenal Vincent Gerard Nichols:

Carta del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

Vincentio Gerardo S.R.E. Cardinali Nichols

Archiepiscopo Metropolitae Vestmonasteriensi

Primatialis Gnesnensis metropolitana Sedes, quae olim supra sancti Adalberti venerandas exuvias erat fundata, tempore Concilii Constantiensis a Decessore Nostro Martino V ad illum peculiarem honorem elevata est, multum profecto conferente Excellentissimo Domino Nicolao Trąba, tunc Archiepiscopo Gnesnensi. Hic enim

praestantissimus Vir, vices Pastorum et fidelium cunctae catholicae Nationis Poloniae prudenter gerens, sollertiam ac dilectionem erga Ecclesiam et Summum Pontificem pluries demonstravit.

Cum quidem, sescentis elapsis annis quibus Gnesnenses Pastores multifarie Ecclesiae et Nationi dignum fideleque praestabant ministerium, recenter Venerabilis Frater Adalbertus Polak, Archiepiscopus Metropolita Gnesnensis et Primas Poloniae, comiter postulaverit a Nobis ut ad celebrationem iubilarem quidam Pater Purpuratus mitteretur, Nos libenter eius petitioni annuimus teque, Venerabilis Frater Noster, ad hunc sollemnem eventum **Missum Extraordinarium Nostrum** constituimus, quem Summorum Pontificum sedulum cooperatorem aestimamus et dialogi inter homines atque religiones fautorem.

Die igitur XXIX mensis Aprilis Gnesnae Nostras vices ages et celebrationibus liturgicis Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam salutationem adstantibus Pastoribus, Christifidelibus et civilibus Auctoritatibus, immo, per eos toti dilecto Polono populo significabis. Oportet autem te hac occasione merita recordare sancti Adalberti, episcopi et martyris, qui vere apostolico spiritu repletus multas regiones percurrens Evangelii gaudium hominibus afferebat ac denique suo sanguine est attestatus fidem in aeternam salutem, quam cunctis ardentem proclamabat. Principis Apostolorum verba congregatis in mentem revocabis, qui fideles hortatur ut in Domino exsultent, etsi modicum nunc oportet contristati sint in variis tentationibus, ut in revelatione Iesu Christi exsultent laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei suae salutem animarum (cfr *1 Pe* 1,6-9). Quapropter invitabis eos ad verae fidei, spei et caritatis congruam testificationem, ac potissimum ad fidelitatem erga Dei mandata, Ecclesiam Catholicam et Romanum Pontificem ad instar maiorum semper servandam necnon plus quam millenariam christianam traditionem devotionemque religiose colendam.

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis Virginis Mariae, Reginae Poloniae, magni Decessoris Nostri sancti Ioannis Pauli II atque omnium sanctorum et beatorum qui tot per annos illic Christum Redemptorem hominis verbis operibusque assidue testificati sunt. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum iis ad quos mitteris, tam Pastoribus quam Christifidelibus, copiose communicandam.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Aprilis, in Dominica II Paschae seu de Divina Misericordia, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

FRANCISCUS

-
